

Pageina 3.  
tex. 28.  
Tres orationis  
sensus.

miorum sexto. [ Cibus paucus non delassari , non sitire ] Aliter vertit alias [ Cibi paucitas lassitudinem non faciens, nec sitim accendens. ] Tres sensus , & omnes veros habet hæc oratio. Primus omnium optimus , vt sanus degas, optimèque viuas, scilicet diu , & integris sensibus , utere paucō cibo, non labora adēd ut delassetis, neque sitis. Tertius ea cibi paucitas, conuenit, quæ neque lassitudinem affert, neque sitim : Galenus primum solum sensum affert, qui interpretatione cuiusdam, scilicet prima, non autem secunda affert, nam secunda hæc interpretatio tripliciter peccat, iuxta Galeni sententiam , & quod definit modum in paucitatis cibi & quod auferat cautionem ab aliis causis lassitudinis , & rufus ab aliis causis sitis : adēd ut non prohibeat sitim, neque lassitudinem, modo non ex fame procedant. Verū iam expedit horum trium sensuum veritatem ostendere. Ut ergo quis sanus & optimè degat, & longissimo tempore viuat, nam sunt tria, Galenus autem morte suo, quamvis tria proponat, non tamen eadem, nec ut debet omnium æqualem habet rationem, sed loco eius quod est optimè degete, proponit bonum habitum, quo maximè ea tempestate deletabantur, id est, quadratum , at neque huiusmodi postmodum, neque longæua vita , ut par erat curam habuit, existimans forsan ut reor, eandem esse rationem tuendæ sanitatis , & producendæ vitæ, scilicet excrementorum debitam expulsionem , & caloris innati incrementum , & quoad fieri potest conseruationem : similiter neque de bono habitu verba fecit: quoniam si per bonum habitum athleticum , & summè pingue , & corpulentum intelligit, non eum putat esse bonum , nedum hominibus necessarium: sin autem moderatum hunc, ad perfectam sanitatem sequi haud dubium est , cum ergo præcepta sanitatis prodidisse se abundè putaret, non curauit, de habitu bono plura subtexere. At quām recte inquit Philosophus : Vino absurdo admisso , plura succedunt , & minimus error in principio, maximus est in fine. Ergo oportet declarare fines huius artis : hi erunt, qui optimi sunt, quod ergo diu præstet viuere , quis est qui ignoret? quandoquidem viuere viuentibus sit esse: Quādri viuimus, operamur , & nos tristis, & lassamur. Et ipsum esse per se bonum est , vnde Philosophus secundo de Generatione & corruptione , melius natura eligit: est autem melius esse, quām non esse. Potrō de senum fœlicitate , & quod optima quæque huic ætati conueniat, non est ut dicam, nisi sperem Ciceronem facundia superare : similiter & quod cuique expedit lanum fore, quis est qui dubitet. Dubitat autem in hoc quod dixi , optimè se habere , reclamabuntque isti, qui se Galenici, nimium iactant, dicentes idem esse & sanum esse perfectè & optimè se habere. At mihi plurimum differre videntur: nam ut ex sententia Hippocratis liquet, delassari non conuenit, & cibo paucō vti: at noster Galenus , tam graues iniungit exercitationes, ut & delassari necesse sit quo-

tidie, & multo cibo repleti non solum quod immodicus ille labor famem magnam excitat , sed quod etiam si non des, lædetur gravior homo. Vide quod dicat in secundo de Tuenda sanitatem : Quoniam vehementior motus exercitatio est, quæ in Gymnasiis fieri solet, disco lucta, pancratio, pugillatu, cursu, donec anhelitus permittetur. Eo enim motu duriora membra efficiuntur, calor innatus augetur , & spiritus citatior redditur. Duritiae siquidem membrorum , robustiora eadem fiunt, & minus ex labore læduntur. Ex caloris incremento , omnes operationes naturalis facultatis fœlicius procedunt, funditurque ( ut ita dicam ) in membris humidum: cuius fusionis beneficio, solida mollescunt, humida tenuantur , & angusti corporis meatus laxiores redduntur: Ex quo cūm vehementiore spiritus concitatione, excrementa melius expurgantur, itaque obscurredum non est Galenum cum sua sapientia non ciuis , aut studiosi , sed militis , aut athletæ , vitam instituisse , cum quā nemō sana mente , neque integris sensibus, nec diu viuere possit: nam ( ut dixi ) tales exercitationes cerebrum sèpè collidunt, ut ante senectam surdi , aut cœci plerunque fiant , amentes quasi omnes , & immemores: Si dicas ad reipublicæ defensionem hos utiles futuros , non negabo , si prudentes , si ad gubernationem idoneos , si sui compotes , atque beatos , ac longæuos , longè illis prætulerim fossorum vitam. Ea vero consuetudo , & vietus ratio, quæ ab exercitatione abstinet, ciboque & potu parcissimè vtitur , fœlix est, prudensque , ac sola beata , non turbulentia , non tristis , non tamen ad labores ( quis ambigit ) adēd idonea. Nos autem vitam instiuitum, sibi viuentium , & ad commodum proprium , & ad contemplationem , quæ finis est humana vita , & optima pars in ea accommodatam. Sanitas ergo , & optima vita , non idem sunt: finge militem robustum, plurimo vtentem cibo , potuque atque quotidiana exercitatione , pingue, quadrati habitus , sanguine etiam bono abundantem, sine vlo corporis vtilio, ac robustum. Alium vero paucō cibo , atque potu vtentem macilentum potius , quām pingue, solis deambulationibus per viridaria manè se oblectantem: videbis in vitroque duo genera sanitatis, sed tam diuersa, ut neminem differentia eorum lateat. Vnus enim alacer , robustus , quadrato corpore , impiger ad labores, sanguinei habitus , cibo vtens multo , verum consilij nullius , alium sèpè deliciens, vrinam sudoremque effundens, somno graui , & aliquando vigil , sèpè lapsus ob labores , non nunquam tristis, inæquali habitu vndique: Alter sensibus claris, mente valens, laborum impatiens , somni quieti & leuis , paucō cibo, potuque vtens, latus semper : vita æquali moderatus , qui difficillimè ægrotet, excrementorum paucorum , non emungit nares , non sputat , & ut uno verbo dicam , quædam sanitatis idea , atque incolumitatis. Non ergo idem sunt optimus habitus , & sanitas. Alterius sensus reddamus rationem,

Contemplatio  
finis est hu-  
mana vita.  
Nota.

Minimus er-  
ror in principi-  
e, maximus  
in fine.  
Nota.  
Te. 59.  
Natura me-  
lius eligit.

Delassari non  
conuenit.